Quaestio Quodlibetaria disputanda in Scholis Medicorum

die Martis 13ª Decembr.

Praeside Doctissimo viro M. Florentino Jacquarto Doctore Medico.

An Crudi humores Medicamento purgandi sint?

Animalium corpora tribus omnino facultatibus à naturâ gubernantur, quarum prima vi ad multas, magnasque res gerendas utitur (per eam enim quidquid usquam oritur, procreatur, procreatum augetur, et ubi ad constitutum magnitudinis modum productum fuerit, nutritur) hic quatuor egregias ei facultates veluti subsidiarias dedit. attrahunt enim partes omnes corporis sibi convenientem succum, eumque tandiu continent, dum perceperint, atque adeo hic immutarint, ut eis assimilatus sit: quod autem confici, atque elaborari ab ipsis non potest, ut supervacaneum minimeque alendo corpori accommodatum expellunt.

Atque cum à coctione nunquam ea vacent, non dubium est quin, si humor aliquis non percoctus, qualis est pituita (à qua morbum regium fieri falsò quidam ~~frigidorum~~ scripserunt) in corpore sit, eum concoquat, vel si semiputris, ex eo quod nondum vitiosum est, eliciat: quod vero ex toto alienum fuerit, elaborare non tentet, ut qui bilem flavam, aut atram coquunt, naturae repugnare mihi videantur.

Ad munus autem suum exequendum si facultas, cui coctio demandata est, infirma fuerit, ei auxilia haec afferre oportet: corpus quieti tradendum est, atque oleo perungendum, et perfricandum, suavi item balneo lavandum, atque inde potio, et abstinentia habendum, somnus capiendus est, medicamenta etiam, si opus est, adhibenda sunt moderatè calida, curandumque omnino est, ut solidae partes, in quibus magna concoquendi vis inest, suum temperamentum retineant.

Ex quo intelligi potest quam praeposterum sit eorum judicium, qui succos quosdam frigidos adserunt, ut his humores, qui morbos creant, concoquant: hae enim raro tantum absunt ut naturam adiuvent, ut magnum negotium facultati expultrici inde exhibeant.

Nec vero minus hi perversam animo opinionem comprehenderunt, qui curationi antecedentes, quam natura nostris corporibus adhibet (ea enim primum concoquit, deinde secernit, postremo expellit, neque quicquam in principio movet) humores priusquam concocti sint, atque ob id nondum ad exitum festinantes, sed in loco aliquo obfirmatos medicamento etiam ex robustis diffidentibus composito (quod maximè fugiendum est) purgant. Quod dum agunt, nullum non modo naturae auxilium afferunt, quo se se ea commodet nondum intelligentes, sed haec mala inducunt crises, mortem, diuturnitatem, et recidivas. +

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Crudi igitur humores Medicamento purgandi non sunt.

Propositas has sententias defendebat Jacobus Goupylus pictavus. Anno M.D.XLVII.